Fragmentarium

Tale bellum perfido debuit indici;
Cum in deum hominem misit hostis manum
Ut movet stabilem infirmavit sanum
Sic quis vicit huius ingenium humanum
Irrevocabiliter abiit in vanum;
O pugna mirabilis o triumphum dignum
Agnus lupum perimit innocens malignum
Qui per lignum vicerat victus est per lignum
Quod est terror hostium quod est vite signum;
Infirmatur medicus ut sanet egrotum
Hec per .v. porticus non per aque motum
Sed in vase figuli et in parte totum
Proximo pereti copulat remotum;
Incipit in seculo factor seculorum
Vite panis esurit sitit fons ortorum
Mortis sompno clauditur oculus cecorum
Flebilis fit abitio decus angelorum
Sol in nube tegitur dies obscuratur
Trepidat securitas virtus infirmatur
Disciplina ceditur salus vulneratur
Vita crucifigitur ordo conturbatur;
Pater nobis perierat redemptorem mori
Si rediret iterum vita redemptori
Liber inter mortuos redditur honori
Et ad dexteris assidet natus genitori;
Ut divine resonat pagina scripture
Precesserunt tempore legis et nature
In antiquis patribus operum figure
Sensus allegorici spes obscure.,
Ut a primis ordiar mundi rudimentis

Fit de costa mulier viri dormientis
Rutilans ecclesie vite sacramentis
Prodiit ex latere Christi morientis;
Hic iacob evigilans lapidem erexit
Hec est archa quam noe cataclismo ...
Hoc in vase scirpeo moyses inspexit
Hec est nurus noemi quam booth dilexit,
Hoc est tabernaculum in deserto factum
Ato cedat stabilis compactum
Hec est archa federis hoc est vite pactum
Inter virum israel et deum contractum;
Actum exterius vita est act-
Vel sacrificia sunt figurat- ua
Hoc altare generat carnis // ÷
Demolitur plaga macerat lasc-
Incenduntur hostie cordibus obl-
Ligno crucis domini flamma concrem-
Agni innocentie vel simplicit- ate
Huius puritas traditur castita-
Primum tabernaculum contemplationem
Mensa que proponitur signat lectionem
Panes verbum fidei thus orationem
Candelabrum spiritus illustrationem.
Futurorum pontifex Christus est bonorum
Qui semel intravit in sancta sanctorum
Non hircorum sanguine nec vitulorum
Sed in suo reserans aditus celorum
Hoc extinxit gladium nobis resistentem
Gladium versatilem gladium ardentem
Ut latronem duceret Christum confitentem

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.31, 1v – Walter Map, Praedicatio Goliae; Sermo de caelestis sponsi; Hugo de Sancto Victore, De quinque septenis (https://fragmentarium.ms/view/page/F-rg3a/5259/49925)